



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

§. V. De Receptore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

inferendum: quia est causa moralis damni, nam se habet instar consulentis, proponendo laudem, vel ignominiae vitiationem ex facinore secuturam, velut motivum agendi.

§. V.

De Receptatore.

Resp. AD restitutionem tenetur, qui recursum, securitatem, & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum illatum. Ut si recipiat domi damnificatorem, & non alios passim; si rem furtivam custodiat, ut furi servet; si ipsum furem, vel ejus instrumenta occultet, ita ut hinc incitetur ad damnificandum. Item caupo, vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena, ut filium familias impendentem bona parentum. Nam tales revera cooperantur damno, quippe sine illis, aut aliâ simili causâ hoc damnum non fieret, ex l. 3. ff. de incendio. *Non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recepit, ex causis supradictis tenetur: quia receptores non minus delinquant quam aggressores.*

Qui verò furem, dum à licitoribus quæritur, occultat solum, ut ejus vitam conservet, non censetur ei cooperari, quamvis fur fortè è periculo elapsus, aliquando damnum aliis sit illaturus: nam damnum illud est merè casuale respectu occultantis, & præter ejus intentionem; illa enim actio per se solum ordinatur

ad

ad eripiendum miserum hominem ex præsentipericulo vitæ, vel pœnæ corporalis: secus, si furem ita occultaret, ut spem refugii imposterum daret, qua fur fidens furta continuaret.

§. VI.

De Participante.

Resp. **D**upliciter quis participans dicitur 1. qui solum particeps est prædæ; & hic tenetur restituere tantum partem, quæ ei obvenit; nam quo ad illam duntaxat fecit injuriam Domino, rem ejus injustè accipiendo. 2. Qui particeps est actionis damnosæ, præbendo auxilium, operam, instrumentum, adjuvando ad executionem, vel explorando; & hîc tenetur resarcire damnum pro rata, imò totum, si alii non restituant suas partes: nam est causa injusta actionis damnosæ, ideóque totius damni ex ea orti. L. 21. ff. *de Furtis* & caput. 6. *de Homic.* Sic tenentur, qui scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente, qui excubias agit, qui furem comitatur defendendi causâ, qui ad confringendum, & asportandum adjuvat, &c. Nec refert, quòd te non juvante, damnum nihilominus factum fuisset; nam eo ipso, quòd adjuvisti, fuisti concausa damni, quod reverâ sine te non est factum; quare participans non solum peccat mortaliter, juxta illud Prov. 29. *qui cum fure participat, odit animam suam*, sed etiam tenetur ad restitutionem.

§. VII.